47 Ultima difficultas est. An teneantur audientes blasphemum illum denuntiare judici? In eo decreto *Concilii Lateranensis*, quod *num. prec.* allegavi, præcipitur hunc denuntiari, his verbis: *Eum denique deferre, vel notificare apud judicem Ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quòd si plures dictum blasphemantem simul audierint, singuli cum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali officio fungatur*. Et Julius III. in sua constitutione Pontificia, quæ incipit, *In multis*, imperat, ut audientes denuntient intra triduum, alioquin in easdem blasphemi pœnas incurrant. Et *c. Si quis per capillum* 22. *q.* 1. Pius I. constituerat divina condemnatione coercendos non denuntiantes. Atque Inquisitores quotannis, dum edicta promulgant, & Episcopi in suis edictis jubent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ blasphemos denuntiari. Quare prorumpentes in blasphemias hæreticales, de quibus soli Inquisitores cognoscunt, sunt ipsis denuntiandi. Blasphemiæ autem non hæreticales sunt denuntiandæ judici Ecclesiastico, aut sæculari. Quippe solùm illi de his cognoscunt. Juxta dicta *n.* 37. Nec edicta judicum Ecclesiasticorum præcipientia sibi denuntiari, impediunt denuntiationem fieri alteri judici potenti de illis cognoscere, utpote quæ ejus jurisdictionem non minuunt; sed id solùm intendunt, ut blasphemiæ denuntientur, ne impunitæ maneant. Sunt autem denuntiandæ hę blasphemię, etsi sub conditione proferantur. Quia sunt veræ blasphemiæ, (Ut *n.* 24. diximus.) Et ita denuntiandas esse tradunt *Rojas de haret.* 2. *p. assertione* 12. *num.* 173. Et citato *Cantera Azevedo lib.* 8. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *num.* 14. Sunt etiam denuntiandæ, etsi non expressè nominentur Deus, vel sancti; ut *pesete tal, reniego de tal*, quando ex conjecturis apertè, & absque ulla dubitatione colligitur blasphemantis animus, intelligentis nomine, *de tal*, Deum, vel sanctos. Juxta dicta *n.* 23. Major autem difficultas est, an quando blasphemia est secreta, ac speratur fore, ut blasphemus fraternè correctus emendetur, sit præmittenda correctio fraterna? *Azor. lib.* 9. *instit. moral. c.* 28. *q.* 8. dicit non præmittendam correctionem fraternam. Quia ea denuntiatio non præcipitur ob criminis emendam, sed ad ejus punitionem, & in pœnam sceleris. At meliùs alii præmittendam tunc correctionem fraternam sentiunt. Quia speciale est in crimine hæresis, ut ob magnum ejus periculum, & difficillimam hæretici correctionem, sit statim nulla correctione præmissa denuntiandum. Quod in blasphemis non contingit. Quare prædicta decreta, & edicta intelliguntur servato ordine Evangelico, nempe, ut si blasphemia sit publica, aut si secreta, desperetur fore, ut correctio prosit, statim denuntietur. Si verò occulta sit, ac spes subsit, ut correctio fraterna prosit, illa præmittatur. Atque ita docent *Metina lib.* 1. *summ. cap.* 14. §. 2. *fol.* 77. *pag.* 1. *Manuel* 1. *tom. summæ, in secunda edit. cap.* 34. *num.* 6. *Lud. Lopez* 1. *p. instruct. c.* 282. *in fine*.

CAPUT XXXIII.

De præcepto spei, & timoris; ac peccatis desperationis, & præsumptionis spei oppositis

SUMMARIUM.

An de spe sit præceptum? n. 1.
Quando obliget? Refertur quadam sententia, n. 2.
Explicantur tempora quibus obligat, n. 3.
An sit præceptum speciale timoris? n. 4.
Quando peccetur per desperationem? n. 5.
An desperatio sit semper conjuncta cum hæresi? n. 6.
Quando peccetur, & qualiter per præsumptionem? n. 7.
An præsumptio sit semper conjuncta cum infidelitate? n. 8.

1 Constat ex fide esse præceptum de spei actu aliquando eliciendo. Ut constat ex *Ps.* 4. *Sperate in Domino*. Et *ad Titum* 2. *Expectantes beatam spem*. Et ex aliis locis, quæ afferunt DD. *num.* 3. allegandi. Et ratione constat. Quippe de omni actu ad vitam æternam obtinendam necessario est præceptum. At hujusmodi est sperare peccatorum veniam, ac gloriam obtinendam à Deo. Ut constat ex *Trid. sess.* 6. *c.* 6. Est igitur in præcepto.

2 Et quidem quantùm ad præceptum negativum, nempe, non desperandi, quod ad spei virtutem pertinet, constat obligare semper, ac pro semper; instar omnium præceptorum negativorum. De præcepto autem affirmativo eliciendi actus spei est difficultas, pro quo tempore obliget. Quidam, quos tacito nomine refert *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 22. *articul.* 1. *dub.* 1. censent habito semel actu spei, posse probabiliter dici id præceptum non ampliùs obligare. At jure optimo id falsum esse censet. Idque constabit ex dicendis *n. sequenti*.

3 Varia igitur tempora assignantur à Doctoribus obligationis hujus præcepti. Primum tempus est, cum primum rationis usum puer assequitur. Quia tunc tenetur se in Deum convertere, omnia in ipsum referendo. Quod absque actu spei præstare nequit. Ita docent *Bannez* 2. 2. *q.* 22. *artic.* 1. *dub.* 2. & *ibi Aragon. dub.* 1. *Petr. de Led.* 2. *tom. summæ, tract.* 2. *c.* 4. *concl.* 3. At verius est, tunc non obligare. Quia *cap.* 35. dicemus ideò verius esse non extare id conversionis præceptum. Et hanc partem sustinet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. Et esto diceremus hoc præceptum tunc obligarè, non obligaret per se & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione alterius. Ut statim in secundo obligationis tempore explicabo. Secundum tempus est, cum obligatio occurrit pœnitentiæ de anteacta vita, ad gratiam Dei obtinendam. Quia cum spes veniæ obtinendæ sit fundamentum pœnitentiæ, hæc absque spei actu consistere nequit. Ita docent *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *institutionum moralium, cap.* 2. *qu.* 7. *Aragon., Bannez, Petrus de Ledesma conclus.* 4. Addunt hi tres idem esse dicendum, quando est præceptum de oratione. Quia id præceptum absque spei actu impleri nequit. Et idem *Azor.* quando obligat præceptum dilectionis Dei super omnia: Quia absque actu spei impleri nequit. Idem dicit *Aragon.* quoties quis tenetur aliquid aliud efficere, quod sine actu spei commodè fieri nequit. At in omnibus his eventibus non obligat præceptum spei per se, & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione præcepti adjuncti pœnitentiæ, aut orationis, charitatis, aut faciendi illam aliam rem. Quare tunc omittens elicere actum spei, non peccaret contra hoc præceptum, nec omissionem actuum spei tenetur fateri; sed solùm peccaret contra illum præceptum adjunctum, quod impletum non est; atque adeo sola ejus transgressio fatenda est. Ita docent *Bannez, & Petr. de Ledesm. ibi*. Atque in simili diximus *hoc* 2. *libro cap.* 1. *num.* 3. Tertium tempus est, semel singulis annis. Ita *Petrus de Ledesma, ibi, conclus.* 6. Sicut idem de præcepto fidei. Ut ex ipso retuli *d. c.* 1. *num.* 3. ubi & id reprobavi. Quare hoc non placet. Quartum tempus est, quando quis primò novit, sive per se, sive ab alio monitus, utilitatem, ac necessitatem spei ad piè vivendum. Sic *Valentia ibidem* dicens hoc esse probabile. At non placet hoc tempus. Quia caret solido fundamento. Ultimum tempus est, quando aliquis gravi desperationis tentatione vexatus, in succumbendi periculo est, nisi actu spei contrario animum confirmet. Tunc enim per se hoc præceptum obligat. Quia eodem spei præcepto tenetur homo sperare, & non desperare. Si ergo tunc elicere actum spei est per se medium ad non desperandum, obligabit præceptum spei ad illum eliciendum. Ita *Val. Bannez, Aragon. Petr. de Ledesm.* proximè allegati. Addit autem optimè *Valentia* aliquando quoque esse necessarium, & sub præcepto, actu spei munire animum ad vincendas tentationes in aliis materiis; quando alias est periculum succumbendi. At tunc non obligabit præceptum spei per se, & ex vi hujus præcepti, sed per accidens ratione præcepti superandæ illius tentationis. Quare non elicere tunc actum spei, minimè erit distinctum peccatum necessariò fatendum ab eo, quod committitur succumbendo tentationi, aut succumbendi periculo se exponendo. Quia actus spei non requirebatur tunc per se, sed ratione præcepti vitandi alterius peccati, ad quod tentatio impellebat.

4 Rursus de timore filiali, ac bono servili constat, quandoque esse præceptum. Quod docet *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 22. *art.* 2. de filiali, *Deuter.* 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum*, &c. De servili, *Matth.* 10. & *Luc.* 12. *Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam*. Est autem timor filialis (ut docent *idem D. Thom.* 2. 2. *qu.* 19. *art.* 2.) quo quis timet offendere Deum, & ab eo per peccatum separari. Dicitur autem filialis, eò quòd ex Dei amore nascatur; sicut timor, quo filii vereri solent, ne parentes suos offendant, consurgit ex filiali amore, quo illos complectuntur. Timor autem servilis est, quo quis timet pœnas à Deo peccatoribus constitutas, & ideò, ut eas effugiat, inducitur ad peccata vitanda. Dicitur autem servilis, quia non propriè nascitur ex amore Dei, sed ex sui amore, quo quispiam, ut propriæ incolumitati pœnas evadens consulat, peccata vitat; instar servorum, qui non amore Domini ducti, sed pœnæ timore, ipsi obsequuntur. At difficultas est, an præcepta de his timoribus sint specialia: ita ut aliquando ex hujusmodi timorum defectu contingat committi speciale peccatum? An verò sint ipsamet charitatis, & aliarum virtutum præcepta, quæ exigunt hos timores, quatenus per illos ab eorum transgressione homo retrahitur? *Bannez* 2. 2. *qu.* 22. *ad* 2. *in solutione ad* 1. & 2. censet esse speciale præceptum; obligareque servilem, quando necessitas vitandi peccati occurrit, nec ducitur quis ad id vitandum, nisi pœnæ timore; filialem autem, quando quis est in periculo peccandi, & eo timore ad cavenda peccata ducitur. At concludit *in solutione ad* 4. esse probabile non esse specialia præcepta. At multò verius est, non esse aliquod speciale præceptum horum timorum, sed idemmet aliarum virtutum; atque ita admittentem quodcumque crimen, à quo timorum horum actu retrahi posset, sufficienter fateri explicando solùm id crimen admissum, aut si non admisit, periculum illius admittendi, cui se exposuit. Quod ex praxi hominum timoratæ conscientiæ constat, qui numquam de timorum horum defectu in peccatis admissis se accusant; nec confessarii de eo interrogant. Et ratio est, quia defectus ille timoris est conditio generalis reperta in omnibus peccatis admissis: ac proinde non constituit specialem aliquam culpam. Sicut nec defectus considerationis rerum divinarum, & aliorum mediorum, quæ à peccando averterent, ac à peccante negliguntur, minimè culpam specialem inducit. Quòd sit generalis omnium peccatorum conditio. Adde omissionem actus spei

spei requisiti ad non succumbendum tentationibus contra alias virtutes occurrentibus, non inducere specialem culpam. (Ut *num. prec.* diximus.) Quia non exigitur propter se, sed ob aliarum virtutum præcepta. Idem ergo de his timoribus dicendum est. Et ita docet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *qu.* 4. *puncto* 2. *in fine*.

5 Peccatur autem contra spem, aut non eliciendo actum spei, quando obligat. Juxta *dicta n.* 3. Aut per defectum, excessumve. Per defectum peccatur desperando; nimirum, dum quis disperat fore, ut ad meliorem frugem se recipiat, aut peccatorum veniam, gloriamve comparet. Quod secundùm omnes est gravissimum peccatum mortale, nec in eo datur parvitas materiæ, sed ratione solius defectus plenæ deliberationis excusari potest à mortali. Quia motus desperationis conformis est judicio falso de Deo, quo judicatur per ejus misericordiam non posse aliquem obtinere salutem æternam, atque ideò in quavis materia misericordiam divinam graviter lædit.

6 Potest autem hic desperationis actus conjunctus esse cum hæresi, quando desperans actu habet hoc judicium illi assentiens, *Deus non potest mihi parcere*; aut *non parcet, si me disposuero, ut docet*; aut *consequi gratiam, & gloriam est mihi impossibile*. Quia hæc judicia contra fidem sunt. Quare erit tunc duplex malitia specie distincta, ac confitenda; altera hæresis, altera verò desperationis. Potest etiam sine hæresi contingere. Quod benè explicat ex mente *Div. Thomæ Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *quæst.* 3. *puncto* 1. quia ad eliciendum desperationis actum, non est necesse actu habere illud falsum judicium declaratum. Sed satis est, ut per judicium practicum quispiam æstimet sibi tunc desperandum, sive ut jucundum, & aptum præsenti dispositioni, sive ut utile ad alios fines pravos; ut ad liberiùs peccandum. Sicut fornicans non judicat sibi tunc fornicationem licere. Quod esse hæreticum. Sed tantùm practicè illam amplectitur tamquam jucundam, aut ad alios fines utilem. Vel secundò potest hoc explicari cum *Toledo lib.* 4. *summ. cap.* 7. *num.* 9. Quia non est opus hoc judicio in desperante, *Deus mihi non potest parcere*, aut *non parcet si me debitè disposuero*. Sed satis est hoc judicium, *numquam me disponam, numquam benè, numquam mihi parcet Deus*. Quæ judicia cum de solo facto sint, non sunt hæretica.

7 Peccatur quoque per excessum contra spem, admittendo præsumptionis vitium. Præsumptio autem contraria spei in eo consistit, cum quis aliquid tamquam possibile de Deo sperat, quod secundùm ejus ordinariam legem non est possibile: ut remissionem peccatorum, & gloriam absque meritis, vel ac solis propriis viribus adipiscenda, vel in creaturis spem collocat tamquam in præsidio ad salutem comparandam sufficiente. Ut optimè *D. Thom.* & omnes 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 1. Nec enim in creaturis spem constituere interdicitur, tamquam in iis, quæ unà cum Dei adjutorio juvant, & promovent ad vitam æternam adipiscendam. Ut benè docet *Azor. to.* 1. *lib.* 9. *moral. institut. c.* 2. *q.* 7. Nec tamen ad fugiendum hoc crimen est opus expressa divini adjutorii mentione, quoties beatitudo, aut gratia speratur, sed satis est virtute, & interpretativè adsit ea intentio. Ut communiter est in Christianis. Ut benè docent *Bannez ea qu.* 21. *ar.* 2. *dubio* 3. & *ibi Aragon.* Estque semper præsumptio hæc mortalis, nec parvitas materiæ excusare potest, sed solus plenæ deliberationis defectus. Ut benè docent *Bannez ibi dub.* 2. & *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *q.* 3. *puncto* 2. Quòd hic præsumptionis motus conformis sit falso judicio de Deo, quo judicatur posse ab eo beatitudinem comparari, absque mediis à divina providentia & justitia statutis. Atque ita gravissimè utrumque Dei attributum lædit. Insuper peccat præsumptionis crimine, qui spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in senectutem, aut finem vitæ differt. Sic *Metina lib.* 1. *summæ cap.* 14. §. 2. *fol.* 79. *pag.* 2. *Bannez* 2. 2. *q.* 21. *ar.* 2. *in fine, Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *instit. moral. c.* 2. *q.* 7. Et dicit *Metina* esse mortale. At meliùs *Azor.* ait non semper esse mortale, nisi tempus occurrat, quo præceptum pœnitentiæ obliget. Quare qui pœnitentiam spe veniæ differt, solùm peccat contra pœnitentiæ præceptum, si animum habeat eam differendi ultra tempus, quo id obligat. Quare non existimo hoc ad peccatum præsumptionis propriè pertinere; nec esse propriè contra spem. Cum non speretur beatitudo absque pœnitentia, & Dei adjutorio.

8 Tandem potest præsumptio hæc cum hæresi, & absque illa accidere. Sicut *num.* 6. de desperatione diximus. Est quidem cum hæresi, & sic duplex culpa, quando ex error intellectus, quo crederet beatitudinem absque pœnitentia, & meritis obtinendam; vel solis propriis operibus absque Dei gratia. At ad præsumptionis peccatum non est necessarium id judicium actu existere, sed sufficit, ut ita tendat quis in salutem æternam voluntate sua, ac si posset absque operibus obtineri; aut solis illis absque Dei gratia. Et ita docet *Valentia* 2. 2. *disp.* 2. *q.* 3. *puncto* 2. Quare tunc erit absque hæresi.

CAPUT XXXIV.

De peccato tentationis Dei.

SUMMARIUM.

Tentatio Dei quid, & quotuplex, & qua regula dignoscatur? num. 1.
Tentare interpretativè, quotupliciter contingat? n. 2.
Tentare Deum contingit respectu tentantis, & respectu aliorum, num. 3.
Cui virtuti opponatur? n. 4.
Quale peccatum sit? n. 5.
An orare absque debita præparatione sit tentare Deum? n. 6.
Quid de nitente sola oratione impetrare bona temporalia? n. 7.
Quid de explorante divinam voluntatem absque justa causa? num. 8.
An liceat petere à Deo signum suæ voluntatis, vel cum adest revelatio, ad sciendum, an sit Dei, an dæmonis? n. 9.
Quid, quando dubitatur, an promissio sit absoluta, an cum conditione; & an pro se ipso liceat aliquando petere signum veritatis, potentiæ, aut scientiæ divinæ? eodem n. 9.
An tentet Deum petens ab ipso miraculum pro manifestanda fidei veritate? n. 10.
An tentatio expressa, & interpretativa sint, distinctæ species? num. 11.
An purgatio à crimine ferro candenti, aut aqua ferventi facta, sit licita? n. 12.
An liceat hac purgatio per Eucharistiæ sumptionem? n. 13.
An liceat medicinas corporales etiam martyrii tempore nolle? num. 14.
An tentet Deum martyrio se absque necessitate offerens: vel peccet, si se offerat, eò quòd vitam exosam habeat? n. 15.
An tentet Deum prædicans absque prævia meditatione? n. 16.

1 Cum tentatio Dei opponatur religioni, quatenus ad cultum debitum Deo exhibendum inclinat (ut *n.* 4. dicemus) & quodammodo etiam spei; ejus tractatus pertinet ad primum Decalogi præceptum jubens cultum Dei debitum; & post tractatum de virtute spei. Definitur autem sic. Tentatio Dei est irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, ut veritate, potentia, scientia, &c. sumitur experimentum verbis, vel factis, an Deus perfectionem illam habeat, nec ne. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. ab omnibus receptus. Dicitur autem *irreligiositas*, quia vitium hoc religioni opponitur. (Ut *nu.* 4. explicabimus.) Dicitur, *ex dubitatione*, &c. quia semper in tentatione Dei adest aliqua hujusmodi dubitatio. Quod ait *D. Thom. eo articul.* 1. (& ex eo alii desumpsere) contingere dupliciter. Primò, quando quis formaliter, & ex intentione tentat Deum, nimirum, quando expresè dubitando de aliqua Dei perfectione, aliquid facit animo illius experiendæ. Secundo, interpretativè, & implicitè, nempe, quando etsi quis expresè non dubitet de divina perfectione, nec experimentum de Deo sumere intendat; id tamen petit, vel agit, quod suapte natura ad nil aliud pertinere, & referri posse videtur, quàm ad divinam perfectionem experiendam. Tunc autem declarat *D. Thomas* hunc interpretativum tentandi Dei modum contingere, cum neglectis modis à divina providentia constitutis, aliquid agitur expectato effectu à solo Deo, nulla necessitate, aut utilitate justa ad id cogente. Quando verò aliqua necessitate, aut utilitate ductus committit se quispiam divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, id non est tentare Deum, sed licitum. Juxta id 2. *Paralip.* 20. *Cum ignoramus, quid agere deliceamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*. Idque declarat *ibi* appositissimo exemplo. Sicut quando quis absque peculiari causa equum agitat, interpretamur illam equi agitationem ad nil aliud pertinere, quàm ad ejus velocitatem experiendam: secùs quando adest causa peculiaris, ut fugiendi periculi. Unde ex hac doctrina *D. Thomæ* optimè colligit *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 14. *puncto* 1. *vers. Declarat*, ex fine movente deducendam esse regulam ad judicandum, an Deus tentetur, nec ne: spectandus enim est finis, ob quem effectus à solo Deo speratur; & si justus sit, non est Dei tentatio; si autem justa causa movens desit, erit Dei tentatio, saltem interpretativa.

2 Hæc autem interpretativa Dei tentatio contingit dupliciter. Priori modo, cum quis media naturalia à Deo ordinata prætermittit, sperans à solo Deo effectum. Posteriori modo, cum quis sponte periculum quærit, à quo nullatenus, aut vix liberari potest, nisi à solo Deo. Sicut si quis relicta scala vellet è turri per aera descendere, quamvis non animo Dei tentandi id efficeret. Ita *Toledo lib.* 4. *summæ cap.* 19. *n.* 6. *in fine*. Ut tamen sit tentatio Dei, etiam interpretativa, oportet haberi operantem respectum ad Deum, expectato medio extraordinario ab ipso; & tunc opponitur religioni, est enim Dei irreverentia expectare prudenter id auxilium. Ut docet optimè *Suar. tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *l.* 1. *cap.* 3. *numero* 4. & 5.

3 Insuper potest homo Deum tentare, sive formaliter, sive interpretativè, vel ut ipse experimentum Dei capiat, vel ut aliis etiam manifestum faciat. Quippe expertus sapientiam alicujus, & de ea nil dubitans, diceretur verè ipsum ten-

tentare, si aliquid diceret, efficeretve, quò sapientia illius esset aliis manifesta. Ita *Toledo eo c. 19. n. 4.* Exemplum autem hujus subjiciam *n. 11.*

4 Opponitur autem hoc tentationis Dei peccatum religioni, Ut docet *D. Thom.* ab omnibus receptus *2. 2. quæst. 97. art. 3.* Cum enim finis religionis sit Deo reverentiam exhibere; omnia, quæ directè reverentiæ Dei adversa sunt, opponuntur religioni. At tentare Deum pertinet ad Dei irreverentiam. Continet enim quamdam dubitationem de divina excellentia. Quia nullus tentare præsumit eum, de cujus excellentia certus est. Quamobrem primo Decalogi præcepto adversatur. Potest etiam dici cum *Azor. tom. 1. l. 9. institutionum moral. c. 2. quæst. 7.* opponi aliquo modo spei. Quia tentans Deum indebito modo sperat ab ipso effectum intentum. Qualiter autem religioni opponatur, consulendus est *Suarez tomo primo de religione, tract. tertio, libr. primo, cap. secundo à numero quinto ad 8.* ubi optimè id explicat, solvitque contraria.

5 Ex his primò deducitur, tentationem Dei expressam, & formalem esse ex genere suo mortalem. Quod velle ex dubitatione quadam aliquod Dei attributum experiri, magnum Dei contemptum concludit. Quod omnes fatentur. Unde ex materiæ parvitate nequit esse venialis, sed ex solo perfectæ deliberationis defectu. Quod ratio proximè adducta satis probat. Atque ita notat *Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 14. punct. 2.* Idque significat *Cajetan. summ. verb. Tentatio, in fine*, ubi formalem Dei tentationem ex hoc solo capite à culpa mortali excusat. Quando autem hæc dubitatio deest, & sic est sola tentatio Dei non ita propria, *Toledo libro 4. summæ cap. 19. num. 7.* dicit posse esse venialem; ut quando ex sola curiositate videndi alicujus operis supernaturalis procedit. Atque *Valentia* proximè relatus, & *Sayro in clavi regia lib. 4. cap. 7. num. 14.* dicunt esse communiter venialem, nisi materia sit nimis gravis, ut quia tentans Deum se maximo periculo exponit. At existimo esse ex objecto, & natura sua mortalem, nisi fortasse ex ignorantia, & simplicitate non omnino crassa id faciens excusetur, ex quadam inepta pietatis specie. Sicut optimè docet *Suarez tom. primo de religione, tract. 3. l. 1. cap. secundo, num. 16.* loquens de tentatione Dei, qua signum petitur à Deo suæ voluntatis, & sic nulla est dubitatio in fide. Et ratio est, tum quia notabilis Dei irreverentia est agere cum Deo, tamquam cum ludione, & curiositatum fautore; tum etiam quia sic tentans Deum non solum vult Deum fovere vanam curiositatem, sed etiam ut sua omnipotentia aliquid mirabile ad solum illum vanum finem operetur. Quod immensam Dei sapientiam, ac prudentiam valde dedecet. Quamobrem benè concludit *Suarez eo num. 16.* vix posse hoc culpa lethali liberari. Fatendum est tamen aliquando posse materiam, & periculum esse adeò exigua, ut sit culpa venialis. Ut benè docet *Leonard. lib. secundo, de just. cap. 45. dub. 1. numero quarto in fine*, cujus exemplum appono, ut in levi morbo nolle medicinis uti, speramdo vanè salutem à Deo, non petito miraculo.

6 Secundò deducitur, cur *Eccl. 18.* orans sine præparatione dicatur quasi Dei tentator. Ratio enim est (ut ait *Valent. 2. 2. disp. 6. qu. 14. punct. 1. coroll. 2.*) quia cum Deus ejusmodi orationem se exauditurum non promiserit, ad nil aliud ordinari videtur ex modo, quo instituitur, nisi ad Dei potentiam experiendam, an minùs benè oranti subvenire valeat. Dicitur autem non se præparare ante orationem, ut censeatur quasi Dei tentator, qui non dimittit, si quid adversùs aliquem habet, aut aliàs non se disponit ad orationem faciendo, quod in se est, ut à Deo exaudiatur. Et ita advertit *D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 3. ad 2.* ubi advertit *Cajetan.* hunc non esse propriè Dei tentatorem; & ideò appellari quasi tentatorem.

7 Tertiò deducitur, nitentem sola oratione bona temporalia à Deo impetrare, prætermissis mediis naturalibus tentare Deum. Secùs si in aliquo peculiari casu ad Dei gloriam expediret id. Ita *D. Thom. d. qu. 97. art. 1. ad 3. Valent. eodem punct. 1. coroll. 2.*

8 Quartò deducitur, quid dicendum de exploratione divinæ voluntatis per aliquod signum petitum à Deo. *Div. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. & Cajet. in summa, verbo Tentatio*, dicunt esse tentationem Dei. Quod intelligit *Valent. 2. 2. disp. 6. qu. 14. punct. 1. coroll. 3.* esse impropriè, sed quamdam irreverentiam contra Deum. Quia propria Dei tentatio dubitationem de aliqua Dei perfectione exigit. Sed meliùs *Suarez tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 1. cap. 2. num. 16.* ait quæstionem esse de nomine, utrovis modo appelletur; verius tamen videri esse propriè tentationem Dei. Cum expressè intendatur exploratio divinæ voluntatis per tale medium, nec oportet, ut semper procedat ex dubio de perfectione divina. Ut *ibi* latiùs probat.

9 Quintò deducitur discrimen inter instructionem de divinis attributis, atque de divina voluntate. Quod cum de primis dubitare non liceat, velle illa explorare sit semper iniqua Dei tentatio; at cum de divina voluntate dubitare liceat, non semper est tentatio Dei petere ab eo instructionem illius per aliquod signum, dummodo debitæ circumstantiæ concurrant. Quod docent *D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 2. ad 3. & ibi Cajet. Valent. 2. 2. disputat. 6. qu. 14. punct. 1. Suarez tomo primo de religione, tract. tertio libr. 1. cap. 2. à numer. 9. usque ad 13.* ubi optimè hoc explicat, & extendit ad casus, in quibus dubitare licet de aliqua fidei veritate; ut si alicui non sit satis proposita aliqua fidei veritas, & ideò nec peccat dubitando, nec suspendendo assensum; vel si certus sit de aliqua Dei revelatione; sed petit majorem instructionem, majoremque publicam confirmationem, pro se, vel pro aliis. Adhibent etiam exemplum *Cajetan. & Valent. ibidem*, ut quando alicui fit revelatio, & dubitat, an Dei, an dæmonis sit, potest concurrentibus debitis circumstantiis petere à Deo instructionem per aliquod signum. Similiter ait *Cajetan.* idem licere, quando dubitatur, an promissio Dei sit absoluta, an solùm juxta secundarum causarum merita. Has autem circumstantias explicuit *D. Thom. eodem artic. 2.* his verbis: *Cum subsit justa necessitas, aut pia utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent.* Insuper adhibendus est debitus petendi modus, quem dicit *Cajetan. eo articul. secundo, & Armilla verbo Tentatio numero secundo* esse, ut humiliter id signum petatur. Quod optimè sic explicat *Suarez* proximè allegatus, id est, ea animi submissione, ut petens non ita fidem suam alicui signo particulari petito à Deo adstringat, ut nisi illud concedatur, non sit crediturus, hoc enim, & temerarium est, & debitæ in Deum subordinationi adversum. Sed debet voluntati divinæ se submittere; quare (inquit) verè tentat Deum, petens ab eo signum, quod ipse petens vult, tamquam unicum explorandæ illius rei medium. Quòd aliquando sancti id fecere, id ex speciali Dei impulsu fecerunt. Debitas autem circumstantias explicat *idem Suarez* tunc concurrere, quando talis veritas est necessaria ad propriam, vel aliorum salutem, vel ad voluntatem Dei implendam, vel est valde conveniens ad commune bonum, nec omittuntur media ordinaria præstituta à Deo ad eam veritatem assequendam. Quod etiam constabit ex dicendis *num. sequ.* Similiter integrum est Deo supplicare, ut suam voluntatem occultam nobis explicet, ut eam assecuti numquam transgrediamur. Ita *Cajet. in summa verbo Tentatio, Azor. tom. primo institutionum moralium, lib. 9. cap. secundo, quæstione septima, Mct. lib. primo summæ capit. 14. §. 2.*

10 Sextò deducitur, non licere petere à Deo speciale fidei signum, pro ejus veritate allis manifestanda, nisi necessitas concurrat, ut quia non apparet via aliter manifestandæ illius veritatis; & utilitas simul, quia speratur probabiliter utilitas eorum, quibus manifestanda est. Quare petens à Deo miracula ad fidem coram hæreticis confirmandam tentaret Deum, quia deest necessitas, sufficit enim eis Ecclesiæ testimonium. Similiter qui apud infideles id peteret, quando inde non speratur eorum conversio, deest enim utilitas. Hæc docet *Toledo lib. 4. summ. cap. 19. num. 8. & 9.* Atque (ut optimè ait *Suarez eodem cap. 2. num. 13. in fine*) est adeò excellens, & supernaturalis hæc petitio, ut sine speciali Dei motione fieri rectè nequeat, qua ductì quidam sancti petiere.

11 Quòd si petas, aut formalis, & expressa Dei tentatio, qua ex intentione exploratur ejus voluntas, aut attributum, petito aliquo signo, differat specie à tentatione interpretativa, quam *num. 2.* explicuimus? Id discutit *Suarez tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 1. cap. 3. nu. 6.* & ait differre utramque specie. Quòd longè diversa ratione utraque ad Dei irriverentiam pertineat, & procedat ex causis diversis in genere moris. Et saltem ait quo ad mores spectat, clarum esse, aperiri debere necessario in confessione, an tentatio fuerit expressa, an tantùm interpretativa. Quia exigitur manifestatio intentionis, qua factum est opus, quo tentari Deus dicitur. Et placet quidem; & absque dubio utraque pars est vera, quando tentatio expressa procederet ex dubio de aliquo Dei attributo; tunc enim esset conjuncta malitia mortalis contra fidem.

12 Septimò deducitur, ad tentationem Dei pertinere purgationem à crimine objecto alicui, olim fieri solitam ferro candenti, aut aqua ferventi. Atque ideò est meritò interdicta jure canonico, *c. Mennam, c. Monachiam, & c. Consuluisti 2. q. 5. & c. Extuarum, de purgat. canonica, & c. finali, de purgat. vulgari*, ubi redditur ratio, quòd Deus tentari videatur, eò quòd ad bonum commune tuendum satis sit mediis humanis jure statutis uti, ex quibus delictum, aut innocentia delinquentis constet. Et ideo hæc purgatio est quædam interpretativa Dei tentatio. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8. ad 3. & 3. part. quæst. 80. artic. 6. ad 3. Valentia 2. 2. disput. sexta, quæst. 14. puncto primo, corollario 4. Sayro in clavi regia, libr. 4. cap. septimo, numero ultimo, Leonardus, l. 2. de justit. cap. 45. dubio 1. num. 3. Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. l. 1. cap. 3. numero 8.* ubi benè colligit hoc non esse malum, quia prohibitum, sed prohiberi, eò quòd sit ex se malum. Cum ejus malitiæ rationem textus reddat, quòd sit tentatio Dei, quam ex se malam esse constat. Nec obstat *nu. 5.* mulierem de adulterio suspectam aquis amaris purgandam juberi. Quia respondent benè *Valentia, Suar. num. 10. & Sayro ibi*, id licuisse ex voluntate Dei expressa. Atque id præceptum tamquam cæremoniale cessavit. Ut benè docent *Valentia, & Sayro ibidem*. Nec obstat etiam similem purgationem delicti sæpè fuisse à Deo variis miraculis confirmatam; quæ affert *Debrius lib. 4. de magia cap. 4. quæst. 4. sect. 3. & sequentibus*. Respondet etiam benè *Suarez eodem num. 10.* id accidisse in aliquibus casibus, in quibus id fieri licuit ex divino instinctu; vel etsi homines peccarint, voluisse Deum favere innocentiæ reputati delinquentis.

13 Nec similiter licet purgatio decreta in *Concilio Vuormatiensi*

tiensi cap. 15. & refertur *cap. Sapè 2. quæst. 5.* ubi Abbas jubebatur explorare furtum in monasterio contingens, data monachis Eucharistia, & dicendo ita: *Corpus Domini nostri sit tibi hodie ad probationem*. Quam *D. Tho. 2. p. quæst. 80. articulo 6. ad 3. & Valent. dict. punct. 1. in fine & Sayro eod. num. ult.* damnant tamquam tentationem Dei; & *Valentia* ait id Concilium tamquam Provinciale errasse. Alii verò censent eam probationem non fuisse illicitam, factam auctoritate publica judicis Ecclesiastici. Ut videri potest apud *Delrium dicto lib. 4., cap. 4. quæst. 3.* Et *Suarez dict. c. 3. num. ultimo* benè ait nullibi esse eam specialiter interdictam, sed generaliter, quatenus decernitur *c. Extuarum, de purgat. canon.* peregrina judicia esse vitanda, nec esse intrinsecam Dei tentationem, quia non fiebat ad aliquam ostensionem miraculosam, sed solùm quasi in testimonium, & juramentum innocentiæ.

14 Octavò deducitur quando æger peccet respuens medicinas. Quod optimè enodant *Cajetan. 2. 2. quæst. 97. art. 1. & Navarrus summa c. undecimo, n. 41.* dicentes posse tripliciter contingere. Primò, tempore martyrii, ad divinum honorem tuendum, indicatur enim maxima ad mortem pro Christo ferendam promptitudo. Et id valde laudabile. Secundò, quando deficiente mortis periculo, quispiam medicinas respuit, ne dolores cessent, & sic magis pro Christo patiatur. Et hoc etiam est licitum. Ultimò, quando morbus est periculosus, & tunc eas respuere, sperata à Deo salute, est tentare Deum. Et *Navarr.* benè ait esse mortale, quem videtur sequi *Suarez eodem l. 1. c. 2. n. 1.* cum eum referat, nec improbet, & tenet etiam *Leonard. lib. 2. de just. cap. 45. dub. 1. n. 4. Quare D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. ad 3.* excusat D. Agatham, (quæ ut in ejus vita refertur) gloriabatur se numquam medicinis carnalibus usam, quia ex speciali divina providentia id fecit.

15 Nonò deducitur esse tentationem Dei, se martyrio temerè absque justa causa offerre: tunc autem adest justa causa, quando martyrium est sub præcepto, vel sub consilio. Ita *Navarr.* dicens esse mortale *in summa c. 11. nu. 40. Ludovic. Lopez 1. p. instructorii conscientiæ cap. 41. ad finem*. Quia est in re gravi, & provocantur infideles absque causa ad peccandum mortaliter. Unde *D. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 3.* loquens de hoc, ait non præbendam infidelibus occasionem injustè agendi, sed patienter sustinendum ipsis injustè agentibus. Et *ibi Cajet.* circa eam solutionem, ait martyres non provocasse tyrannos ad mortem ipsis inferendam, sed exigente justa causa processisse ad externam fidei confessionem, ut Evangelii prædicationem, & alios actus, unde tyranni ex propria malitia sumebant occasionem variis eos tormentis cruciandi. Quòd si aliquando se martyrio offerebant, id erat urgente magna ostendendæ fidei necessitate, & divino instinctu ducti. Atque *Sylvest. in sua summa verbo Martyrium, in nu. unico*, optimè tradit nullatenus licitum esse absque necessitate eam occasionem infidelibus præbere. Et *in fine* benè ait esse mortale, subire martyrium, non principaliter propter Christum, sed propter vitæ odium. Tunc autem martyrium est in præcepto, quando est necessarium ad fidem, vel salutem multorum spiritualem conservandam, aut blasphemias vitandas. Tunc autem est sub consilio, quando ex eo nil aliud, quàm Dei gloria, & fidei exaltatio consequitur. Ut docent *D. Thom. 2. 2. q. 124. ar. 3. ad 1. Sylvest. & Nav.* proximè allegati.

16 Tandem deducitur, esse tentationem Dei, si quis sine prævia meditatione, nec coactus causa justa, prædicare contendat, sperans fore ut Deus sibi dicenda inspiret. Sic *Navarr. & Ludovicus Lopez n. praced.* allegati. Addit *Navarr.* id esse mortale. Quo verum credo, quando animo Dei tentandi id fieret: secùs si non eo animo, nec scandalum, nec aliud detrimentum notabile sequatur: tunc enim erit veniale. juxta *dicta n. 15.*

CAPUT XXXV.

De præcepto charitatis Dei: & conversionis ad Deum in primo instanti usus rationis,

SUMMARIUM.

An sit præceptum de amore Dei: & ad quod Decalogi præceptum pertineat? n. 1.
An hic amor debeat esse maximis intensivè, & appretiativè? numero 2.
An Deum diligere ob beatitudinem, aut bona temporalia assequenda, liceat? n. 3.
An præceptum hoc obligat ad amorem supernaturalem, & naturalem? n. 4.
An impleri possit absque gratia gratum faciente? n. 5.
An obliget hoc præceptum in instanti usus rationis: teneaturque tunc puer se in Deum convertere? Refertur quadam sententia, n. 6.
Explicatur sententia Auctoris, n. 7.
Quibus aliis temporibus obliget hoc præceptum: & an diebus festivis obligetur quis ad dilectionem Dei & aliquem cultum internum? Refertur quadam sententia num. 8. ubi, & alia dua referuntur.
Explicantur tempora, quibus obligat hoc præceptum, n. 9.
Quibus modis pectetur contra charitatem: & qualiter Deus possit odio haberi? n. 10.
An sit mortale desiderium perpetuò vivendi? n. 11.

1 Circa præceptum charitatis tria videnda sunt. Primum, an id præceptum extet. Secundum, qui modus diligendi Dei cadat sub eo præcepto. Tertium, quo tempore obliget. Circa primum, constat extare præceptum de dilectione Dei, *Deuteron. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. Hoc est primum, & maximum mandatum, &c.* Et ratio est, quia actus dilectionis Dei est ad salutem necessarius, 1. *Joannis 3. Qui non diliget manet in morte.* At de omnibus ad salutem necessariis extat præceptum. Aliàs non sat esset ad salutem servare mandata, contra illud Christi *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, servа mandata*. Non est autem hoc præceptum positum in Decalogo. Primum enim præceptum Decalogi non est de diligendo Deo. Ut adverti in procemio hujus secundi libri. Quia per se est satis manifestum, ac teste *D. Thom. 2. 2. q. 44. artic. 1. ad 3.* se habet ad Decalogi præcepta tamquam præambulum, & in omnibus virtute includitur, quatenus ex illo omnia deducuntur. Diximus autem in eodem procemio reduci hoc præceptum ad primum Decalogi.

2 Circa secundum modus cadens sub hoc dilectionis Dei præcepto est, ut super omnia diligatur: ac proinde, ut amor Dei sit major cæterarum rerum amor. Non est autem necesse, ut sit major intensivè, idest, ut sit ferventior, & vehementior: sed satis est, ut sit major appretiativè, idest, quo ad æstimationem, ita ut taliter homo dispositus sit, ut si perdendus sit Deus, aut omnes aliæ res, potiùs res omnes perdere velit, quàm Deum offendere. Quæ comparatio si formaliter fiat, consistit in actu voluntatis consentientis in objecta sic comparata, firmiterque proponentis fore ut urgente necessitate alterutrius eligendi, Deum cæteris præponat. Si autem virtualiter fiat, non consistit in majori intensione, aut conatu, fervoreve voluntatis in Deum: sed in substantia, & specie actus, quæ sumitur ex motivi ad amandum excellentia (ut optimè docet *Suarez* statim allegandus.) Sicut stat aquopiam majori conatu, & intensione amicum diligi, quàm patrem: nihilominus extra amoris paterni, qui excellentius diligendi motivum habe, paratus ille sit patre, & amico in necessitate constitutis, potiùs patri subvenire, si utrique nequeat. Atque proinde amor ille amici est major intensivè, patris autem appretiativè. Atque non exigi amorem Dei esse majorem intensivè inde probatur, quia satis est servare præceptum de charitatis ordine eo modo, qui sufficit, ut quoties oportuerit, charitas sit opere efficacior erga id objectum, quod est majori amore prosequendum. Juxta id 1. *Joann. 3. Non diligamus verbo, vel lingua, sed opere, & veritate.* Ad hoc autem sufficit id objectum magis appretiativè diligi. Quippe eo magis appretiativè dilecto quamtumvis modica actus intensio sufficiet ad efficiendum quidquid causa ejus objecti necessarium est efficere. Et confirmatur, quia non est suavitati legis divinæ consonum, ut sit præceptum de majori intensivè amore Dei: utpote quod valde anxios, ac scrupulis plenos reddet homines an id præceptum impleant. Cum nil magis eos lateat, quàm gradus intensionis, qua actus internus elicitur. Debere aut esse majorem appretiativè constat. Quia jubemur Deum super omnia diligere: & cum hoc non sit intensivè, debet esse appretiativè. Præterea, quia præceptum de aliquo virtutis actu est etiam de intrinseco illius actus modo, teste *D. Th. & Cajet. 2. 2. q. 44. art. 4. ad 1.* Ad intrinsecus dilectionis Dei modus est, ut super omnia saltem appretiativè diligatur. Nullus in. alius amor erit Deo proportionatus: utpote qui ultimus noster finis, supremumque nostrum bonum est. Et ideò contra *Scotum 3. dist. 27. quæst. unic. §. De primo dico, & Petrum de Soto de just. sacerd. lect. 9. de justificatione*, dicentes amorem Dei debere esse summum etiam intensivè, tradunt communiter Doctores *3. d. 27. Navarr. in summa cap. 1. Latinè num. 4. Hispanè numer. 9. Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 4. puncto 2. & quæst. 19. puncto 1. Suar. 4. tom. in 3. p. disp. 4. sect. 4. num. 7. Azor.* alios referens, *tom. 1. lib. 9. instit. moral. cap. 4. quæst. 3. Toledo lib. 4. summa c. 9. n. 7.*

3 Hinc deducitur teneri omnes Deum diligere propter se, tamquam ultimum rerum omnium finem. Constat, quia non diligeretur super omnia appretiativè, si amor illius ad aliquid creatum ordinaretur. Et ita docet *D. Thom. 2. 2. qu. 27. art. 3.* ab omnibus receptus, ex mente *D. August. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4.* Potest tamen Deus diligi hoc modo propter se, etsi simul propter vitæ æternæ mercedem diligatur, dummodò merces illa non sit finis ipsius Dei, sed dilectionis nostræ. Quod est dicere clarioribus terminis, licitum est nobis dilectionem Dei, & omnia opera nostra bona in æternæ beatitudinis mercedem referre, tamquam in finem minùs principalem. Juxta id *Ps. 118. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et definitur in *Trid. sess. 6. canon. 31.* Non tamen tamquam in finem ultimum, & principalem. Quod benè docent *D. Th. 2. 2. q. 27. art. 3. ad 3. dist. 29. q. 1. art. 4.* ubi Doctores, & specialiter *Durandus q. 3.* Quare jure optimo docent aliqui esse mortale, Deum diligere ob vitæ æternæ mercedem, tamquam ob finem ultimum, & principalem. Hi sunt *Sylv. verb. Charitas, q. 7. & ibi Armill. in fine, Mayronis*, quem

refert,

refert, & sequitur *Navarr. summa c.11. Latinè num.20. versic. 6. Hispanè num.16. Toledo lib.4. summa c.9. nu. 4.* Tunc autem ea merces est finis minùs principalis, quando est causa movens, ut faciliùs, expeditiùs, & ferventiùs Deum diligamus: alioquin tamen dilecturi, etiamsi non ita promptè, & expeditè. At tunc est finis principalis, quando nisi ea præmii spes adesset, Deum non diligeremus. Hic enim amor est mercenarius, instar obsequii præstiti à famulo mercede conducto, qui seclusa mercede id nullatenus præstaret. Quare amor hic passim à sanctis Patribus reprehenditur, & specialiter a *D.Chrysostomo lib.de compunctione cordis, in fine*, ubi in hoc sensu damnat eos, qui Deo ob mercedem serviunt. Ita hoc explicant *Toledo* proximè alleg. *Azor. tomo 1. lib.9. instit. moral. c.4. quæst.5. Valentia 2.2. disp.3. q.5. puncto 2. Bannez 2.2. q.27. art.3. dubio unico, Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tract.5. c.4.* Non tamen est licitum Dei dilectionem, aut alias actiones pias in res temporales assequendas dirigere, tamquam in finem. Quia contra finis rationem est, ut minùs bonus sit, quàm ea, quæ ad finem sunt; & sic est ordinis perversitas. At possunt ordinari ad res temporales assequendas, tamquam in motivum quoddam, & quasi dispositionem ad bona spiritualia. Et sic habet usus Ecclesiæ offerentis passim missas, & orationes, aliaque pia opera, ad salutem corporalem, pluviam, & alia bona temporalia à Deo impetranda. Et ita docènt *Durandus, Bannez, & Valentia* proximè allegati. Subdit autem benè *Bannez* non esse necessum actu referre ea temporalia sic à Deo petita ad bona spiritualia: sed satis esse virtute. Dicit etiam benè non esse mortale, sed solùm veniale, etiamsi bona temporalia petita nullatenus ad spiritualia ordinarentur. Quia perversitas finis, qui mortalis non sit, minimè culpam venialem excedit. Sicut diximus *lib.praced. c.5. n.1.* non esse mortale exercere spiritualia præter vanam gloriam.

4 Secundus modus, quo obligat hoc præceptum, est, ut Deus super omnia diligatur dilectione supernaturali in aliquibus casibus, vel supernaturali, aut etiam saltem naturali in aliis, quos casus *n.9.* explicabimus. Prior pars probatur, quia dilectio charitatis debet esse ex fide non ficta *ad Timoth.1.* Debet igitur Deus diligi, quatenus per fidem supernaturalem cognoscitur, ut ultimus finis supernaturalis, & omnium bonorum supernaturalium auctor, ac proinde dilectione supernaturali. Posterior pars probatur, quia dilectio Dei super omnia in quibusdam casibus solùm desideratur ad tuendum Dei honorem, vitandamque Dei offensam. Ad id autem satis est, si utravis dilectione in Deum super omnia feramur. Atque ita docent *Navarrus summa c.11. Hispanè n.8. Latinè n.10. vers. Addò secundò, Bannez 2.2.q.44.art.1. Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 3.c.5.in 2. conclusione, & in dubio, quod circa illam movet.* Et clariùs cæteris *Valentia 2.2. disp.3. qu.19. puncto 1.*

5 Hinc deducitur præceptum hoc dilectionis Dei super omnia, non posse impleri nisi à constituto in gratia. Quia quamdiù quis aliquo mortali adstrictus est, objectum illius anteponit Deo: ac proinde non diligit Deum super omnia. Quare constitutus in lethali tenetur, quando hoc præceptum obligat, convertere se ad Deum, in ejusque amicitiam redire. Quippe in hoc distat hoc præceptum à reliquis, quòd modus ipse utpote illi intrinsecus cadit sub eodem præcepto: teste *Divo Thom. 1.2.q.100.art.10.* Quod in reliquis præceptis, quibus modus hic est extrinsecus, non contingit. Ita docent *D. Thom. eo art.10. ad 2. Valentia 2.2. disp.3. quæst.19. puncto 4. Metina, & Vega*, quos refert, & sequitur *Manuel.1.to. summæ, in 2. editione c.11. n.3. Bannez 2.2.q.44. art.1. dub.2.* Hoc temperat *Sotus lib.2. de just.q.3. art.10. colum.6. vers. Hoc tamen hic adnotato, & l.1. de natura, & gratia c.22. vers. Igitur ad propositum*, ut intelligatur, quando præceptum dilectionis Dei obligat ad eliciendum actum internum illius. Nam quando solius operis externi dilectionis Dei præceptum occurrit, ait satis esse id exequi in peccato mortali. Ut quando obligat ad tuendum honorem divinum, increpando blasphemantem contra Deum. At merito *Bannez* proximè allegatus, hanc limitationem improbat, dicens si sit opus externum ab alia virtute elicitum, & solùm à charitate imperatum, posse quidem impleri manente peccato mortali. Ut in exemplo *Soti*: tunc enim tueri honorem divinum, pertinet propriè, & immediatè ad religionem, cujus est honorem Deo deferre, ac per consequens ejus honorem defendere, quoties opus fuerit. Et solùm imperatur à charitate. At si opus externum sit, quod per se pertineat ad charitatem, & ab illa eliciatur, ait non esse veram limitationem. Tum quia non datur tale opus externum. Tum etiam, quia si daretur, numquam caderet sub præcepto, nisi ut profectum ab interno dilectionis actu; ac proinde in peccato lethali impleri non posset. Subdit autem benè *Valent. cum Navarr. summa c.11. Hispanè num.7. Latinè num.10.* excusari quempiam à novo peccato contra hoc præceptum si bona fide existimet se in gratia illud implere. Sicut contingit in ministratione, & receptione sacramentorum factis in peccato mortali, quæ à culpa excusantur, quoties ministrans, vel recipiens existimat bona fide se esse in gratia. Quia incertum nobis est, an simus in gratia.

6 Circa tertium, nempe, quo tempore hoc præceptum dilectionis Dei obliget, duplex est difficultas enodanda. Prior est, an id præceptum obliget, statim ac puer usum rationis assequitur. Posterior est, quibus aliis temporalibus obliget. Circa primam difficultatem, quidam censent tunc obligare hoc præceptum. Ita docent *Nav. sum. c.11. Hispanè n.6. Latinè n.8. Sot. lib.2. de just. qu.3. art.10. col.8. vers. Responsio horum, Bannez 2.2.q.44. art.1. dub.1. ad 3.* loquens de homine fideli, *Toledo lib.4. summ. c.9. num.9. Man.1. tom. summ. in 2. edit. c.11. nu.3.* Fundamentum hujus sententiæ est celebris illa doctrina *D. Thom. 1.2.q.89. art.6. & 2. dist.42.q.1. art.5. ad 7. & de verit. q.28. art.3. ad 4.* quod amplectuntur *Cajetan. & Mat. eo art.6. Sylv. verb. Oratio qu. 8. Victoria relectione ad quid teneatur homo perveniens ad usum rationis, 2.p. à num.11. Nav. c. Quando, c.3. num.16. & 17.* & multi alii: quia asserit teneri sub mortali puerum, cum ad usum rationis pervenit convertere se in Deum, & in ipsum tamquam in ultimum finem sua ordinare. Adduntque *Cajet. & Nav.* teneri omnes hoc omissionis peccatum fateri in dubio, an omiserint eum actum facere, nec ne. Coguntur autem *D. Thom.* & sequaces hoc præceptum statuere, ne concedant posse dari veniale peccatum cum solo originali. Quod dandum esset in puero nondum baptizato, si ubi pervenit ad usum rationis, committeret mendacium officiosum, aut verbum otiosum. Vitatur autem id posito hoc præcepto, nam si illud impleat illuminabitur à Deo, ac statim consequenter gratiam, ac proinde originale delebitur. Si autem non impleat, peccabit mortaliter. Dari autem veniale cum solo originali, absurdum putant: eò quòd si puer ille tunc obiret, non reperitur locus, in quo id veniale puniatur. Non enim puniretur in inferno. Quippe illuc soli decedentes in mortali actuali adeunt. Non in purgatorio, quò soli amici Dei purgandi adeunt. Non in limbo puerorum. Quia cum ibi nulla sensus pœna sit, non punitur ibi veniale.

7 At multò probabilius est, id præceptum se tunc ad Deum convertendi non esse, ac proinde nec præceptum diligendi Dei tunc obligare. Ducor, quia suavitati legis divinæ non videtur consonum, ut præceptum tam arctum sub mortali culpa obliget in tam tenera ætate, ad statim implendum: eò vel maximè, quòd universi pueri invincibili ignorantia illius præcepti laborent. Quippe qui nec rationem dubitandi, nec inquirendi de illo habuerint, nec habere potuerint. Cum ante illam primam quasi vigiliam rationis usus, ad nullum præceptum teneantur: & statim ac illa adest, jam ligantur eo conversionis ad Deum præcepto: juxta præcedentem sententiam. Et confirmatur, quia nullus puer nosse potest moraliter tempus, quo ex præcepto adstringitur. Quis enim umquam novit primum rationis usus momentum? Atque proinde non potest id præceptum ex certa intentione adimplere. Non est ergo asserendum. Tandem quia asserto hoc præcepto, non effugitur id absurdum, quod contraria sententia effugere intendit. Nam eo stante posset ille puer primò peccare venialiter, & sic dabitur veniale cum originali solo. Quod inde constat, quia circa omnia vræcepta tempore, quo obligant, potest dari culpa venialis ex defectu plenæ deliberationis. Cur ergo is defectus non poterit in puero reperiri, ut sic detur prima ejus culpa venialis? Quare prior quoque sententia tenetur locum dare, in quo id veniale puniatur, puero illo statim decedente. Potest etiam puer ille, statim ac rationis usum assequitur, aliquantulum mente divagari, & ita non implere id præceptum. At ea divagatio ad summum est venialis. Et ideò hanc sententiam tenent latiùs probantes, & alios referentes, *Valentia 1.2. disp.6.q.19. puncto 3. Vasquez 1.2.q.89. art.6. disp.146. toto cap.2. Suar.4. tomo in 3.p. disp.11. sectione 2.n.14. & 15. Azor. tomo 1. l.4. instit. moral.c.10. q.6. & l.9. c.4. qu.1. Philiarcus de officio sacerd. tom.1.p.2.l.3. c.5.* Et *Metina n.prac.* allegatus fatetur viros doctissimos nostræ ætatis hanc tenere sententiam. Et *Victoria ibi* allegatus ait esse probabilem. Et *Vega l.9. in Tridentinum c.42. ad finem*, dicit utramque partem posse defendi. Et ad argumentum contrariæ sententiæ omissis aliis solutionibus, quas referunt *Suar. num.15. Azor. ea q.6.* respondetur cum *Azor. ibi, & Suar. num.19. Vasquez* loco proximè allegato, *& q.76. art. 2. disp. 120. cap. 4. ad finem*, negando fore ut puer ille cum solo originali, & veniali decedat. Et ita Deus, quæ futura erant prævidens, destinavit loca hominibus puniendis determinata, nec ullum pro adultis cum solo originali, aut cum eo, & veniali decedentibus constituit. Sicut etiam constituit prædestinatum non moriturum in mortati. Quia tunc moriens damnaretur: quod prædestinationi repugnat. Et sicut hunc dicimus non posse in mortali decedere impossibilitate consequenti ex suppositione scientiæ Dei, quæ libertatem non aufert; sic nec adultus potest mori cum originali, absque alio peccato mortali, supposita Dei ordinatione, qua moriturìs loca destinavit, inter quæ non est hic locus. Hæc autem est impossibilitas consequens scientiam Dei, quæ libertatem minimè tollit.

8 Posterior difficultas est. Quibus aliis temporibus præceptum hoc dilectionis Dei obliget? Quidam censent obligare quolibet die festo. Quia cum præceptum sanctificandi festa sit positivum, nequit dici ad merè negativum quid obligare, quale est à servilibus abstinere. Sed dicendum est, ad cultum aliquem Dei internum obligare, qualis est Dei dilectio. Ita *Scotus 4. d.27. q. un. §. Quantum ad secundum dico, Tabiena verbo Charitas q.20.* Et obligare tunc contritionis præceptum ait *Angelus verbo Feria numer. 41.*

At contrarium dicendum est. Quia divinum sanctificandi festa præceptum solam festorum sanctificationem abstinendo à servilibus præscribit, quæ quid affirmativum est, etsi modus sanctificandi sit negativus. Ecclesiasticum autem sacrum audiri, præcipit. Quæ fieri possunt absque actuali Dei dilectione, & absque alio interno Dei cultu. Et ita docent omnes Auctores *num. sequenti* allegandi. Et *D. Thom. 2.2.q.122. art.4. & ibi Cajetan. & in summa, verb. Festorum violatio, & verbo Contritio, Sotus lib.2. de just. quæst.4. artic.4. Covarr.4. var.c.19. num.11. & c. Alma mater 1.p. §.5.n.3. Navarr. summ. cap.11. n.8. & c.13. n.2. & 17.* & multi alii. Aliis verò placet præceptum hoc tantùm obligare semel in vita. Hos tacito nomine refert *Sotus l.1. de natura, & gratia c.22. versic. Dicamus ergo*: eosque benè improbat. Quia esset penè supervacanea lex toto vitæ curriculo semel tantùm obligans, idque tempore incerto. Et maximè cum sit lex dilectionis Dei, quæ totius vitæ Christianæ fundamentum est. Alii, quos etiam tacito nomine *ibi* refert, dicunt obligare in solo mortis articulo. Quod & *Sotus*, & omnes Auctores *num. sequenti* referendi improbant. Quia cum hoc præceptum sit ad rectam vitæ institutionem, per omnium actionum relationem in Deum, tamquam in ultimum finem, & ad conciliandam, conservandamque amicitiam cum Deo toto vitæ spatio, rationi dissonat, ut in solo vitæ exitu obliget. Alii dicunt, dignè sumentem Eucharistiam semel in anno simul adimplere hoc præceptum. Ita *Bannez 2.2.qu.44. art.1. dubio 1. ad 3.* At hoc non placet. Quia ad dignam Eucharistiæ sumptionem sufficit esse in gratia: ac si quod est peccatum lethale, illius confessionem præmitti. Quare non exigitur actus dilectionis Dei. Et ita id reprobant *Azor. tom.1. l.9. institut. moral. c.4. q.1. Petr. de Ledesma 2. tom. summæ, tract.3. c.5. post 6. conclusionem.* Alii dicunt obligare semel quolibet anno. Ita *Petrus de Ledesma ibi*, dicens esse sententiam multorum discipulorum Divi Thomæ. Ejus fundamentum retuli, ac improbavi hoc *2.l.c.1.nu.3. & c.33.n.3.* in præceptis fidei, & spei, quæ similiter dicit obligare semel in anno.

9 His ergo dimissis sententiis, Doctores, qui proximiùs ad veritatem accedunt, varia tempora obligationis hujus præcepti assignant. Primum est, cum primùm rationis usu præditus secum perpendit, aut ab alio ei proponuntur rationes ducentes ad Deum super omnia diligendum, & se, ac sua omnia ad eum referendum. Quia tunc quasi lex hæc divina promulgatur, ac ad sui impletionem invitat. Ita *Valentia 2.2. disput.1. quæst.19. puncto 1. casu 1.* additque in fine illius casus teneri tunc illum ad dilectionem supernaturalem, si Deum ut auctorem supernaturalem consideret: ad naturalem autem, si auctorem naturalem. Sed non placet. Sicut in simili *cap.33. num.3.* ubi retuli ipsum idem sentire de obligatione præcepti spei, id reprobavi. Secundum tempus est, cum adultus baptizatur. Quia sicut ad suam familiam quempiam admittens, id primùm ab eo petit, ut suam illi amicitiæ, ac fidelitatis conservandæ fidem adstringat: ita cum per baptismum adultus militiæ Christi adscribitur, tenetur per Dei amorem, animum suum firmare ad Deo fideliter inserviendum. Sic *Sotus l.1. de natura, & gratia 22. vers. Dicamus ergo, in casu 1. & l.2. de just. quæst.3. art.10. col.6. vers. Responsio horum, Valentia d. puncto 1. casu 2.* At hoc reprobant *Nav. summa cap.11. Hispanè num.6. in fine, & 7. Latinè num.7.8. & 9. Azor. tom.1. l.9. instit. moral. c.4. quæst.1. Petrus de Ledesma 2. tom. summæ, tract.3. cap.5. post 6. conclusionem.* Quia ad baptismum suscipiendum est sufficiens dispositio attritio cognita. Quæ non concludit amorem Dei, sed ex pœnæ timore proficiscitur. Sed huic objectioni respondet *Valentia*, attritionem satis esse ad baptismi dispositionem: ac proinde nomine dispositionis debitæ non exigi hunc dilectionis actum: at exigi, ut baptizatus sic ritè, ac rectè Ecclesiæ Christianæ militem profiteatur, cui tunc se aggregat. Quare infert satis esse cum actum elicere tempore baptismi, vel paulo ante, vel paulò post: ut pote qui non requiritur tamquam dispositio prævia ad baptismum, & debere esse actum dilectionis supernaturalis. Quia debet procedere ex fide supernaturali, cujus professio fit in baptismo. Et tandem *Nav. summa Lat. capit.11. num.9.* amplectitur hanc sententiam, ut eo tempore obliget hoc præceptum, quo ad eos qui ante baptismum non habuerant contritionem. Sed non placet tunc obligare dilectionis Dei præceptum, etiam cum hac limitatione. Quia non video sufficiens hujus obligationis fundamentum. Atque satis se militem Christi profitetur, ac futurum fidelem, qui ad baptismum accedit cum attritione peccatorum, quæ necessariò includit firmum in posterum peccata cavendi propositum. Tertium tempus est, cum quis contritionem habere tenetur. Quia cum contritio sit dolor supernaturalis peccatorum propter Deum super omnia dilectum includit necessariò dilectionem Dei supernaturalem, ex qua prisciscitur. Ita *Navarr. summa c.11. Hispanè n.6. Latinè n.8. Val. d. puncto 1. casu 3. Emmanuel Sà summa, verbo Charitas n.1. Tol. l.5. summæ c.9. n.10. Philiarc. de offic. sacerd. tom.1. p.2. l.3. c.5.* At tunc non obligat præceptum hoc per se, & ex vi præcepti, sed per accidens, & ex vi præcepti contritionis. Ut benè docet *Azor. tom.1. l.9. instit. moral. c.4. q.1.* Quare omittens tunc dilectionem Dei unicæ culpæ reus esset, eamque solam fateri teneretur, nempe, transgressionis præcepti contritionis. Ut in simili loquentes de præcepto fidei, & spei, diximus *c.1. nu.3. & c.23. n.3.* Quartum tempus est, cum quis singulari beneficio à Deo afficitur. Ut si præsentaneo mortis, aut gravis damni periculo liberetur à Deo. Nam lex amicitiæ tunc exigere videtur, ut homo Deum benefactorem suum redamet. Ita docet *Sotus* dicens fortè ita esse, *l.2. de just. q.3. art.10. col.6. vers. Responsio horum, Met. l.1. summæ c.14. §.2. f.79. in fin. Valentia d. puncto 1. casu 4. Toledo d. cap.9. num.10.* Additque *Sotus* tunc obligare præceptum charitatis etiam quo ad modum, nempe, ad præparandum se ad ineundam cum Deo amicitiam, si recipiens sit in lethali. Et si beneficium sit supernaturale, ait *Valentia* obligare præceptum dilectionis supernaturalis, si verò naturale, naturalis, aut supernaturalis. At meritò hunc casum reprobant *Nav. eo cap.11. Latinè num.7. in fine, & Azor. ea quæst.1.* Quia non fulcitur efficaci fundamento. Quippe si ad aliquem actum tunc temporis jure naturæ obligemur, is erit, quo debitas Deo gratias agamus pro beneficio in nos collato. Quintum tempus est, quando alicui martyrium subeundum est: tunc in actu dilectionis Dei super omnia se munire tenetur ad martyrium perferendum. Ita *Sotus* proximè allegatus, dicens fortè ita esse *& l.1. de natura, & gratia cap.22. versic. Dicamus ergo, casu 2. Valentia d. puncto 1. casu 5. Manuel. 1. tom. summæ, in 2. editione cap.11. numer.3.* Atque idem affirmant *Sotus* in priori loco, & *Valentia ibi ac Toledo d. cap.9. num.10.* quoties aliquod aliud egregium opus, & arduum in Dei obsequium est suscipiendum. Et addit *Sotus in priori loco* obligare tunc hoc præceptum etiam quo ad modum, disponendo se ad gratiam. Sed nec hoc tempus placet. Quia satis est se oratione munire petendo à Deo auxilium ad id opus, martyriumve. Martyr in esse quis potest, etiamsi tunc dilectionis actum minimè eliciat. Nam martyrium est actus fortitudinis, & solùm à charitate imperatur. Sextum tempus est, cum quispiam blasphemantem aliquem in Deum audit, ac potest Dei honorem tueri absque proprio periculo, illum increpando. Vera in amicitiæ lex id postulat. Ita *Sotus eodem articul.10. col.6. versic. Hoc tamen hic adnotato.* Et *dict. capit.22. verbis. Dicamus ergo, in casu 2. Nav. summa cap.11. Hispanè numer.8. Latinè num.10. Valentia eo puncto 1. casu 6. Manuel. eo capit.11. num.3.* Addit *Sotus eodem illo priori loco, & eo capit.22. post illum 2. casum, versic. Igitur ad propositum*, tunc non obligare præceptum hoc dilectionis Dei, quo ad modum: & sic impleri posse manente homine in peccato mortali. Quia non obligat ad internum dilectionis actum, sed ad externam illam Dei defensionem. *Sed Valentia* negat sufficere actum illum externæ dilectionis. Quia lex veræ amicitiæ exigit erga amicum officium externum ex interna benevolentia profectum. Ait tamen cum *Nav.* proximè allegato, sufficere tunc actum dilectionis Dei, ut naturaliter cognoscitur. At *num. 5. in fine cum Bannez* diximus, in hoc eventu non teneri quempiam ex præcepto charitatis, sed ex religionis præcepto tueri honorem divinum, ac proinde posse in peccato mortali id exequi. Nec tamen semper ex hoc præcepto tenetur audiens blasphemiam tueri honorem divinum, respondendo pro Deo: sed solùm quando ob blasphemantis impudentiam in blasphemando periclitatur honos Dei, ac detrimentum patietur, nisi audiens blasphemiam partes illius defendendas assumat. Idque colligo ex *Soto d. art.10. eodem vers. Hoc tamen hic adnotato*, proponit in hunc casum his verbis, quoties nomen Dei blasphemari quis viderit, ejusque honorem pessundari, ac lacerari. Atque in hoc eventu non spectatur, an sit spes emendæ blasphemantis, necne. Quia obligatio hæc non est ex vi correctionis præcepti, quod solùm obligat sperata delinquentis emenda: sed ex vi præcepti religionis ad tuendum honorem divinum: & sic obligante hoc præcepto id solùm attenditur, ut honos divinus defendatur. An verò etiam citra hunc casum quicumque blasphemum audiens teneatur illum graviter increpare, etsi emenda desperetur, ratione præcepti Concilii Lateranensis, diximus *c.32. num. penultimo.* Septimum tempus est, quoties tenemur proximum ex charitate diligere. Nam cum amor hic proximi sit ejusdem generis cum amore Dei, & in illo includatur amor Dei tamquam finis, obligabit tunc amoris Dei præceptum. Ita *Nav. summa cap.11. Hispanè num.7. Latinè num.9.* Sed non placet. Quia licèt amor ille proximi imperetur à charitate Dei, non inde sequitur esse tunc obligationem eliciendi actus amoris Dei. Octavum tempus est, cum mortis articulus instat. Quia cum tunc tentationes dæmonis, & machinationes acerrimè infestent, tenetur homo actus dilectionis Dei præsidio adversùs eas se communire. Sic *Valentia eodem puncto 1. casu 7.* Sed jure optimo id reprobat *Azor. tom.1. lib.9. instit. moral. capit.4. quæst.1.* Quia aliis remediis potest se adversùs eas communire. Ut oratione invocando divinam opem, & incumbendo in ea virtutis opera, contra quam tentationes infestant. Ultimum tempus est, cum graves odii Dei tentationes instant & periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actus amoris Dei eliciat. Et in hoc eventu existimo obligare præceptum hoc dilectionis Dei super omnia, per se, & ex vi hujus præcepti. Sicut *c.1. nu.3. & c.33. n.3.* diximus idem de præcepto fidei, & spei. Et si odium sit Dei, ut auctoris supernaturalis, obligabit præceptum contrariæ dilectionis, nempe, Dei, ut auctoris supernaturalis: si verò sit odium Dei ut auctoris natura-

lis, obligat dilectio Dei, sive ut auctoris supernaturalis, sive ut naturalis.

10 Ex his deciditur, peccari lethaliter triplici modo contra præceptum dilectionis Dei. Primo modo, omittendum actum dilectionis, quando ex præcepto eliciendus est juxta *dicta num. præcedenti*. Secundo modo, quando amatur Deus, sed non debito modo. Quia aut non amatur majori amore appretiativè, quàm cætera: aut non principaliter propter se: aut non amore supernaturali, quando is obligat: juxta *dicta numero 2. & duplici sequenti*. Tertio modo, quando odium formale Dei habetur. Quamvis enim Deus secundùm se, & ut est quoddam innnitum bonum, odio haberi nequeat: potest tamen in quantum alicui infestus. Quod optimè explicat *Azor. tom. 1. l. 9. instit. moral. c. 4. qu. 6.* Quia odium est actus, quo persona alicujus tamquam infesta, & odiosa nobis displicet, ac proinde ipsam non esse, aut aliud ejus malum absque nostro emolumento optamus. Cum ergo possit quispiam Deum concipere tamquam sibi infestum, & odiosum, potest ipsum sinè suo etiam commodo habere odio. Quia Dei persona sibi displicet. Et potest etiam optare Deum non esse. Quia etsi electio voluntatis non possit esse impossibilium, at potest esse simplex voluntas. Ut testatur *Arist. lib. 3. Ethic. c. 2.*

11 Id demum observandum est, lethale esse desiderare deliberatè perpetuò in hac vita degere. Quia delitiæ hujus sæculi præponuntur vitæ æternæ, & fruitioni Dei. Vacat tamen culpa longam vitam desiderare. Atque ita docent allegati *Adriano, Navarrus summa capit. 11. Hispanè num. 16. Latine num. 20. versic. 8. Barthol. à Ledesma in summ. Sacram. ubi de confessione, post dubium 12. in interrogationibus circa primum præceptum, pagina 710. Manuel. 1. tom. summæ, in 2. editione cap. 11. in fine.*

CAPUT XXXVI.

De Schismate, ac pœnis, censurisque ei adnexis.

SUMMARIUM.

Explicatur definitio schismatis, n. 1.
Quotupliciter admittitur schisma? n. 2.
An omnis inobedientia Papæ, aut non admissio ejus, constituat schisma, vel qua is rebellio exigatur? n. 3.
An exigatur nolle subjici Papæ ut capiti Ecclesiæ, & separari à membris Ecclesiæ ut membra sunt, vel sat sit nolle subjici Papæ, ut domino temporali? n. 4.
An sufficiat ad schisma, indirectè velle divisionem hanc, subtrahendo se facto ipso ab obeaientia Papæ? n. 5.
An sit schisma separari ab Episcopo, & membrorum ejus diœcesis obedientia, & communione? n. 6.
Schisma an sit charitati contrarium? n. 7.
Quo differt ab hæresi, & an omnis schismaticus sit hæreticus, & è contra? n. 8.
Schisma an possit esse veniale ex materia parvitate? n. 9.
An per schisma perdatur potestas jurisdictionis? Remissivè, n. 10.
An schismatici sint excommunicati? n. 11.
An recedentes ab obedientia Papæ absque schismate includantur in primæ excommunicatione cœnæ, & qui schismatici comprehendantur? n. 12.
Quid de recedentibus ab Episcopi obedientia, & communione fidelium solius ejus diœcesis? n. 13.
Quid de recedentibus solo actu externo, ut de catholicis Angliæ solo actu externo obedientibus Regi Angliæ, ut Vicario summo Christi? n. 14.
An sola mente schismaticus absque actu externo incurrat? n. 15.
An incurrant fautores, defensores, & receptatores schismaticorum? n. 16.
An schismatici possint ab excommunicatione absolui per Bullam vel Jubilæum? n. 17.
An sint inhabiles ad beneficia acquirenda? n. 18.
An possit Episcopus in inhabilitate ad beneficia ex delicto occulto dispensare? eod. n. 18.
An ipso jure amittant acquisita? n. 19.
An sint irregulares: & si beneficium conferant, teneat collatio? num. 20.

1 DUplex quæstio tractanda est. Prior de essentia schismatis, & ejus peccati qualitate. Posterior de censuris ipsis adnexis. Circa priorem quæstionem, schisma sic definitur à *D. Thom. 2. 2. questione 39. articul. 1.* quem omnes sequuntur. Est disjunctio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat: in quantum est quoddam corpus mysticum, ex universis fidelibus, & Romano Pontifice tamquam capite constans. Pro cujus intelligentia observandum est, unitatem Ecclesiæ in eo consistere, ut universi fideles ejus membra apto quodam ordine inter se, & cum Papa ejus capite connectantur? Scilicet, ut in actionibus spiritualibus ad id corpus pertinentibus, ut in fidei doctrina, cultu religionis, & in spirituali regimine, caput in reliqua membra quemdam principatum habeat; atque illa ex eo pendeant, ipsique subdita sint. Hæc igitur unitas scinditur per schisma, dum schismaticus non vult se gerere tamquam hujus corporis membrum in aliqua, vel aliquibus spiritualibus actionibus ad hoc Ecclesiæ corpus pertinentibus: aut renuit subjici Pontifici. Scindit autem hic Ecclesiæ unitatem, non omnino, quasi in aliis ea non maneat, sed in quantum hæc unitas ex ipso constabat. Ut benè explicant *Cajet. eo art. 1. Et Valentia 2. 2. disput. 3. q. 15 puncto 1.*

2 Hinc deducitur duplicem esse schismatis modum. Prior est, quo quis se à capite Ecclesiæ, cæterisque membris separare vult. Posterior, quo vel à solo capite, vel à solis membris. Quod docet *D. Thom. d. art. 1. in fine corporis*, & ab omnibus recipitur. Dicitur autem separari à capite, quoties Romano Pontifici Ecclesiæ capiti subesse renuit, illique subjici. Ab aliis autem membris dicitur separari quando ita vult spirituales actiones exercere, ut sperare, & credere, orare, jejunare, ministrare, & recipere sacramenta, &c. non ut pars Ecclesiæ catholicæ, sed tamquam si ipsemet esset quoddam totum seorsum. Ut benè explicant *Cajet. summa, verbo Schisma, Petrus de Ledesma 2. tomo summæ tractatu 3. c. 12. conclusione 3. Valentia d. puncto 1. versic. Hoc cum ita sit.* Tacitè autem, & virtute se à membris quoque separat, qui à solo capite se expressè separare vult: & à capite, qui à solis membris. Ut benè explicat *Valentia eodem puncto 1. post 3. propositionem.* Cum .n. membra, & caput sint inter se connexa, & subordinata, dissidens ab alterutro, consequenter ab altero dissidet.

3 Secundò deducitur, rationem schismatis non in quacumque Papæ inobedientia consistere, aliàs quodcumque Ecclesiæ præceptum transgrediens esset schismaticus: sed consistere in ea inobedientia cum rebellione quadam in Pontificem. Quod docent omnes cum *D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. ad 2.* Imò nec quæcumque rebellio ad id sufficit. Nam nolle stare judicio Pontificis, ejusque præceptum exequi, potest tripliciter contingere. Primò ex parte rei judicatæ, & præceptæ. Ut si in aliqua re, quam judicat Pontifex, aut præcipit, nolit quispiam obedire, illum tamen recognoscens tamquam superiorem, & caput, & volens alioquin esse illi subjectus. Secundo modo, ex parte personæ judicantis, aut præcipientis: quòd eam suspectam, aut sibi infestam reputet. Tertio modo, ex parte officii ipsius Pontificis, nempe, quando quis renuit subesse Pontifici, ut eo officio fungitur Pontificio, & sic ut est Ecclesiæ caput. Rebellio ergo, & voluntas non se subjiciendi Pontifici duobus primis modis non constituit schisma, sed solo tertio modo contingens. Ita *Sylvester verbo Schisma, paulò post principium, Cajetan. eo art. 1. in fine, & ibi Bannez in fine, Valentia 2. 2. disput. 3. q. 15. puncto 1. propositione 3. Vgolinus de censuris Papæ reservatis 2. p. c. 1. versic. Necnon schismaticus, §. 1. n. 4. Auor. t. 1. l. 8. institutionum moralium c. 20. q. 4. Petrus de Ledesma 2. t. summa, tractatu 2. c. 12. concl. 5.* Quare non erit schismaticus, qui non vult subesse Pontifici, eò quòd probabiliter credat eum non esse legitimum Papam. Quippe hic non renuit subesse Pontifici, sed huic personæ, quam non esse Pontificem credit. Ita *Cajet. summa, verbo Schisma, in fine, Petrus de Ledesma concl. 5. Azor. ea q. 4. Vgolinus eo §. 1. n. 2. Valentia eo propositione 3.*

4 Tertiò deducitur, non esse schismaticum, qui cum sit incola oppidi subjecti temporali Papæ jurisdictioni, non vult ipsi ut temporali illius oppidi domino subjici, sed alteri principi se subdere. Quia, ut optimè ait *Navarr. de datis pro justitia, vel gratia, notabili 17. n. 29. versic. 3.* Papa ut dominus temporalis non est Papa, & caput Ecclesiæ, sed instar cujusvis temporalis. Quare sejunctio illa, & rebellio non est formaliter erga Papam, nec contra ejus officium, ut Papa est. Quod schismatis rationem diximus *n. praced.* exigi. Atque simili ratione sejunctio à reliquis fidelibus, non ut partes Ecclesiæ sunt, ac Papæ subduntur, sed ut homines quidam sunt, ac rempublicam civilem constituunt, non est schisma. Quia non est divisio ab Ecclesiæ unitate formaliter: in qua schismatis rationem consistere diximus *n. 1.* Atque ita docet utramque partem *Vgolinus eo §. 1. n. 4.* Et hanc posteriorem partem docent quoque *Sylvester, & Azor. n. praced.* allegati, *Valentia eo puncto 1. paulò post principium, Emmanuel Sa verbo Schisma, n. 1.*

5 Nec tamen ad schisma desideratur velle se directa intentione subtrahere à Pontificis obedientia, sed satis id velle indirectè, nimirum ipso effectu, & opere. Quod contingit, quando quis eligit potiùs ita se gerere, ac si ipsi subjectus non esset, nec Ecclesiæ pars, quàm à perverso proposito resilire. Et hac ratione schismatici sunt, qui absq; Pontificis auctoritate Concilium generale congregant, aut legitimè jam dissolutum prosequuntur. Sicut verus homicida non solus ille est, qui directè occidere vult, sed etiam qui indirectè, non vitando ea, ex quibus occisionem sequi novit. Atq; ita docent *Cajet. in summa, verbo Schisma, & 2. 2. q. 39. a. 1. vers. Ad 3. autem dubium: Et ibi Bannez dubio 1. ad 3. Valentia 2. 2. disp. 3. qu. 15. puncto 1. post 3. propositionem, Vgolinus de censuris Papæ reservatis 2. p. c. 1. vers. Necnon schismaticus §. 1. n. 1. vers. 3. Suarez 5. t. in 3. p. disp. 21. sect. 5. n. 13. Petr. de Ledes. 2. t. summa, tr. 3. c. 12. concl. 3.*

6 Difficultas tamen est, an schismaticus sit, qui non à Romano Pontifice, nec ab universis Ecclesiæ membris se separat; sed quia se ab Episcopo separat, renuens subesse auctoritati Episcopali: vel à solis fidelibus membris illius diœcesis? Nam *Divus Cyprianus*, cujus sententia refertur *c. Scire debes 7. q. 1. & c. Loquitur dominus, 24. q. 3.* hunc schismaticum appellat. Atque ita tenet *Valentia dicto puncto 1. post 3. propositionem*, Idque probat, quia hic etiam tacitè se separat, ac virtute à sum-

à summo Pontifice, ac reliquis Ecclesiæ membris, quatenus Episcopus, ejusque subditi habent subordinationem, & connexionem cum Pontifice, & aliis Ecclesiæ membris, ut quædam pars cum suo capite, ac reliquis ejusdem corporis partibus. At dicendum est illum esse schismaticum largè, & impropriè. Quia verum schisma (ut constat ex definitione ejus *n. 1.* traditâ,) dicit divisionem ab Ecclesia universali, aut ejus capite. Atque ita docent *Host. c. 1. n. 1. de schismaticis, Abb. rubrica eodem tit. n. 1. & 2. & ibi Ananias n. 3. Socinus senior n. 3. Azor. to. 1. l. 8. inst. moral. c. 20. qu. 4. Vgolinus de censuris Papæ reservatis 2. p. c. 1. versic. Necnon schismaticos in initio n. 3.*

7 Quartò deducitur, schisma esse charitati contrarium. Quod docet *D. Th.* ab omnibus receptus *2. 2. q. 39. a. 1.* Quia charitatis est unire, ac conciliare amicos, pacemque tueri. Quæ omnia per schisma tolluntur.

8 Quintò deducitur discrimen inter schisma, & hæresim hæc enim formaliter consistit in doctrinæ fidei negatione: Illud autem in unitatis corporis Ecclesiæ repugnantia, illam scindendo. Quare omnis hæreticus est schismaticus, non tamen è contra. Sed sub diversis rationibus hæreticus, & schismaticus. Hæreticus quidem, quatenus non credit Ecclesiæ. Schismaticus autem, quatenus ab ejus unitate se separat, contrariam doctrinam sectando. Non tamen omnis schismaticus est hæreticus. Quia potest quispiam universam Ecclesiæ doctrinam amplectens, ac credens Pontificem esse suum superiorem, nolle ex malitia voluntatis ipsum tamquam superiorem recognoscere, ipsique subesse: aut cum aliis Ecclesiæ membris uniri. Et ita docet *D. Th. 2. 2. q. 39. ar. 1. ad 3.* quem omnes sequuntur.

9 Ultimò deducitur, schisma esse peccatum mortale gravissimum, nec posse esse veniale ex materiæ parvitate, sed ex solo perfectæ deliberationis defectu. Quippe separatio ab Ecclesiæ, aut capitis unitate, in qua formaliter consistit, in nulla materia potest esse levis. Ita *Valentia 2. 2. disp. 3. q. 15. puncto 2.*

10 Posterior quæstio est de schismatis pœnis. Prima est amissio potestatis jurisdictionis. De qua consulendi sunt *D. Th. 2. 2. q. 39. art. 3. & ibi Doctores, Valent. 2. 2. disp. 3. qu. 15. puncto 3. Azor. to. 1. l. 8. institut. moral. c. 20. q. 9.*

11 Secunda pœna est excommunicatio latæ sententiæ. De qua satis dubium erat, an omnes schismatici illam standò in jure communi incurrerent: an in solis aliquibus specialibus casibus. At hodie omnes schismatici excommunicantur in prima bullæ cœnæ excommunicatione. Atq; ideò ejus excommunicationis absolutio reservatur Pontifici.

12 Sed difficultas esse potest, an illam incurrant, qui recedunt à Pontificis obedientia, non tamen sunt verè schismatici? Quod contingit, quando recedunt à Papæ obedientia duobus primis modis *n. 3.* explicatis. Et videtur eos incurrere. Quia in illa clausula primæ excommunicationis bullæ cœnæ priùs excommunicat Pontifex schismaticos, & deinde eos qui à Pontificis summi obedientia recedunt. At si posterior hæc pars de solis schismaticè recedentibus accipienda sit, superflueret utique. Quia illi sub schismaticis comprehensi erant. At dicendum est solos schismaticè recedentes ab obedientia Papæ, aut se separantes schismaticè à reliquis Ecclesiæ membris, comprehendi in illa clausula. Quia non recedentes ab obedientia Papæ ut Papa, est, ac Christi Vicarius, non dicuntur formaliter, & verè recedere à Pontificis obedientia. Atque ita docent *Cajet. in summa, verbo Excommunicatio c. 7. Azor. tom. 1. l. 8. instit. moral. c. 20. q. 5. Vgolinus de censuris Papæ reservatis 2. p. c. 1. versic. Nec non schismaticus in initio, n. 9. Suarez 5. to. in 3. p. disp. 21. sectione 2. n. 12.* Et omnes. Quare ea clausula dupliciter potest intelligi. Primò, ut Pontifex excommunicavit priùs omnes schismaticos, & quamvis sub illis comprehendantur recedentes à Papæ obedientia: hos tamen expresserit, eò quòd hujusmodi schisma sæpiùs contingat, ut magis timeatur. Ita explicat *Vgolinus ibidem.* Vel secundò potest intelligi, ut in priori parte per schismaticos intelligantur, qui quasi per antonomasiam tales dicuntur, nempe, qui præter verum, & indubitatum Pontificem, alium exigunt, eique ut Papæ obediunt. Quòd si contingat ex errore circa Papæ unitatem, eò quòd duos posse esse credant, erunt schismatici, quatenus à capitis unitate recedunt: hæretici autem, quatenus errant contra fidei doctrinam. Si verò id absque errore contingat, ex sola voluntatis malitia, erunt solùm schismatici. Ita explicat *Suarez* proximè alleg. Sed prior expositio plus mihi placet.

13 Non incurrunt autem hanc excommunicationem recedentes ab obedientia sedis Episcopalis, aut se separantes à reliquis illius diœcesis membris. Quia quamdiu non recedunt à summo Pontifice, aut reliquis universalis Ecclesiæ membris, non sunt verè, & propriè schismatici, ut diximus *n. 6.* Unde in materia pœnali, & odiosa, non includuntur sub schismaticis. Quæ ratione ducti *Hostiensis, Abbas, & Ananias ibi* allegati, sentiunt hos non incurrere excommunicationem jure communi in schismaticos latam.

14 Sufficit tamen ad hanc excommunicationem incurrendam, opere ipso solo exteriori ita se quempiam gerere, ac si non esset Papæ subordinatus, & unitus illi ut capiti quamvis mente, & fide aliud retineatur. Etsi in hæresi contrarium dicendum sit. Ratio differentiæ est. Quia peccatum hæresis non consummatur in solo actu externo, sed necessario errorem internum petit. At schisma satis in sua specie consummatur per illum externum actum. Ut diximus *n. 5.* Ita *Suarez 5. to., in 3. p. disp. 21., sectione 2., n. 13.* Unde benè infert, Catholicos in Anglia solùm exteriùs obedientes Regi, tamquam Vicario Christi in spiritualibus, qualem ipse se profitetur, esse verè schismaticos, ac proinde non evadere hanc excommunicationem, etsi evadant latam in hæreticos.

15 Schismatici sola mente schisma retinentes, non incurrunt: sed opus est, ut factis, verbis, vel alio signo externo schisma manifestent. Quia ob solum peccatum internum numquam excommunicatio incurritur. Ita *Toledo in summa in bulla cœnæ, in prima excommunicatione, n. 16. Sayro thesauro casuum, to. 1. lib. 3. c. 5. in fine.*

16 Nec etiam incurrunt fautores, defensores, receptatores schismaticorum. Quia eam extensionem solùm apposuit Pontifex circa hæreticos. Et dum excommunicatio alicui delicto infligitur, non extenditur ad adjuvantes, nisi exprimantur. Ut probavi *l. 3. de matr. disp. 49. n. 2.*) Item quia in Bulla cœnæ tempore *Cajetani* edita hos exprimebat Pontifex. Ut constat ex *ejus summa, verbo Excommunicatio, c. 7.* Cum ergo in præsenti Bulla cœnæ eos non exprimat, minimè comprehendentur. Et ita docet *Suarez dict. disput. 12. sectione 2. n. 14.*

17 Possunt tamen absolui schismatici, qui hæretici non sunt, virtute Bullæ cruciatæ, semel in vita, & semel in mortis articulo. Et similiter possunt absolui virtute Jubilæi concedentis absolutionem à casibus cœnæ. Quia id solùm hæresis speciale est, ut non comprehendatur sub generali casuum cœnæ concessione. Ut probavi hoc *2. l. c. 1 2. n. 12.*

18 Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica acquirenda, etiam post schismatis pœnitentiam. Constat ex *c. Quia diligentia 5. de electione.* Atque id tenent *Host. Anton. Imola*, quos contra *Aymonem* dicentem peracta pœnitentia tolli hanc inhabilitatem refert, ac sequitur *Azor. tom. 1. lib. 8. institutionum moralium c. 20. q. 8. Penna in directorio Inquisitorum 2. p. q. 48. commento 73. Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 43. sect. 2. n. 7.* Atque solus Pontifex potest in ea dispensare. Ut benè tradit *Abbas eo c. Quia diligentia, n. 7.* Si tamen delictum esset occultum schismatis, posset Episcopus in hac dispensare, virtute *Tridentini sess. 24. c. 6. de reform.* concedentis Episcopo casus occultos. Ut benè docet de quacumque inhabilitate ad beneficia ex delicto occulto consurgente, *Enriquez l. 13. de excommunic. c. 56. n. 1. in commento, litera F.*

19 Quarta pœna est privatio ipso jure beneficiorum ante schisma adeptorum. Hanc testantur *Rebuff. praxi benef. tit. de modis amittendi beneficia, n. 29. Flaminius de resign. benef. l. 3. q. 1. n. 36.* Probant ex *c. Quia diligentia, de elect.* Quod tamen id non dicit, sed de sola inhabilitate ad acquirenda loquitur. Ut *n. praced.* vidimus.) Item ex *c. Nos consuetudinem, d. 12.* Quod etiam nil probat, loquitur enim de hæreticis Donatistis, & solùm statuit servari antiquam consuetudinem, ne hi ad Episcopatum admittantur. Item probat *Rebuff.* quia nullum schisma est, hæresim adjunctam non habens. At hæreticus ipso jure amittit beneficia. At hæc ratio solùm probat de schismatico, qui simul hæreticus est, & non ratione schismatis, sed ratione hæresis. At an verum sit, hæreticum privari ipso jure beneficiis antea adeptis, satis diximus *c. 26. n. 5. & 6.* Cum tamen *nu. 8.* probaverimus non omnem schismaticum esse hæreticum, ea ratio nil probat de schismatico, qui hæreticus non est. Et ideò hæc pœna, tamquam fundamento destituta, non est admittenda.

20 Ultima pœna est irregularitas: eam enim incurrunt schismatici. Ut testantur *Speculator titul. de dispens. §. Juxta, n. 17. Raymundus summa, verbo Schisma, in versicul. Ultimo, Mapolus l. 5. de irregul. c. 46. n. 4. Penna in directorio Inquis. 2. p. q. 48. commento 73. versic. Cognitu dignum est, Azor. tom. 1. l. 8. institutionum moralium c. 20. q. 8.* & refert *Penna* Doctores *c. Quia diligentia, de elect.* id dicentes. Sed nec textus, nec Doctores *ibi* irregularitatis meminere, sed solius inhabilitatis ad beneficia. (Ut *n. 18.* diximus.) Secundò probant hi Doctores ex *c. 1. de schisma.* quod nullam irregularitatem imponit: sed solas ordinum collationes à schismaticis factas irritas reddit, quo ad usum ordinum in recipiente scienter. Decernitur etiam, ut recipientes beneficia à schismaticis carent illis. Nec tamen est irrita hæc collatio, sed irritanda. Ut benè tradit *Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 23. sect. 3. n. 4.* Tertiò probatur ex *c. Qui contra 24. q. 1.* quod etiam nullam irregularitatem imponit, sed alias pœnas à judice infligendas. Quod idem fit *cap. In nomine Domini d. 23.* Quare hæc pœna tamquam carens fundamento non est admittenda. Sed dicendum est, hos non esse irregulares. Quod non obscurè significant multi alii Doctores, qui & de irregularitate, & de schismatis pœnis luculentissimè tractarunt, subticentes hanc irregularitatem. Et tenent expresè *Suarez 5. tom. in 3. par. disput. 43. sectione 2. n. 7. Sayro thesauro casuum tomo 1. l. 7. capite 12. n. 16. versicul. Tertio, junctio versic. Primus est de hæresi.* Qui benè addit existente schismate notorio, hos fore irregulares irregularitate generali, quæ ex quovis crimine notorio digno depositione oritur. Quæ cessat ablata infamia per contrariam pœnitentiam.